

cuit. Bernardus Mugg historiarum et botanices scientia claruit. Denique Josephus Heer Rorsacensis, vir pietate singulari sacrae linguae Hebraeae cognitione floruit. Adhuc et honestum illud religiosae vitae lenimentum animorumque domatricem musicam non praetermisit, sed apud suos pro virili promovit duos prae caeteris illius jucundae artis peritissimos monachos nactus p. Columbanum German et p. Paulum Vogler. Ipse autem Franciscus gratioso huic exercitio organi cum primis peritus, adeo addictus fuit, ut sola decrepitate aetatis imbecillitate expeditum articulorum usum negante coactus destiterit. Quantum vero reliquo studiorum genere valuerit, plurimae testantur ipsius scriptiones, tum juridicae defendendis monasterii juribus destinatae, tum theologicae, asceticae atque etiam medicae in familiarem usum concinnatae; testantur et praeclara ipsius consilia in causis arduis tum consistorio episcopali, tum aliis suggesta; testantur celeberrimae ipsius conciones tam domi, quam foris interdum etiam inopinato peroratae, quasi enim parum esset inter caetera sua negotia, sane plurima eaque pergravia, vicenas quotannis et plures conciones in ecclesia domestica habuisse, in exteris quoque ecclesiis ecclesiasten non raro egit Ettenheimii puta, Riegoli, Kenzingae, Ebringae, ino volente atque praesente illustrissimo s. Galli principe Gallo, anno 1662, Rorsaci in festo ss. apostolorum Petri et Pauli, die vero 2. Julii ejusdem anni in ipso s. Galli templo quemadmodum et anno 1671, die 17. Maii ibidem praecipiente eodem illustrissimo San-Galleusi antistite.

5. Subditos in ordinem redegit. Videas passim abbates quosdam utut caetera viros praeclaros ita rebus externis operam dare, ut internam monasteriorum suorum constitutionem vix cordi habere videantur; contra alios rem spiritualem ita gnaviter curare, quasi nullo rerum externarum studio tenerentur illi utrinque adversantes magni Gregorii praecepto, quo ait: „sit rector internorum curam in externorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum occupatione non relinquens“ s. Gregorii magni, pastoral. p. 2. c. 7. Noster certe res hasce quamvis a se adeo diversas ita sagaci temperamento copulare novit, ut primas quidem curas suas, quod diximus, internis ex merito deputaret, externas autem non minore contentione atque successu administraret. Post regularis igitur vitae institutum et literarum studia ad redigendos in ordinem subditos sese convertit, qui diuturna exultantium monachorum absentia effrenati parere detrectabant, tum et novo abbati Francisco juramentum dicere

procaces recusabant. Praeter subditos monasterium dispersim accolentes habet d. Ettonis abbatia quatuor pagos alios sibi subjectos, e quibus tres, Schwaighausen videlicet, Doerlenbach et Wittelbach, vallibus incincti degunt, Vallenses ob id appellati, quartus Brisgojae planum versus situs est, ideoque illius incolae Villanorum nomine ab aliis distinguuntur. In hos omnes ante Suecicum tumultum jus servitutis monasterium exercebat, a qua se Villani, arrepta belli Suecici occasione, contractu quidem aliquo, sed fraudulento illo subdoleque extorto exemerunt, inde monasterio juxta ac reliquis subditis molesti nullis vel aequissimis conditionibus expugnati. Vallenses autem Villanorum exemplo excitati usurpatam in se a remotissimis temporibus servitutem, ad ferenda caetera onera paratissimi inficiabantur, cum utrisque igitur novo abbati res erat. Et Vallenses quidem mature compescuit, postquam enim iis argumenta, cum a jure, tum a facto pro astruenda servitute produxit, et non facunde minus, quam paterne, minis etiam adjectis, explicuit, posita novandi prurigne mox sese mancipia professi sunt. Exin ad hanc usque aetatem a pronta obsequendi voluntate commendati. At Villani non tam jurium, quam pervicaciae suae tenaciores plus nostro negotii facessivere; praeterquam enim, quod operas praestare recusarent, jura quoque piscandi, lignandi, pascendi, vectigalis pendendi atrectabant, tributorum etiam in aequalitatem caussati. Hos ut in viam reduceret, nihil non tentavit noster, primum privatis cohortationibus officii commonefecit; tum jure peritorum arbitria ipsis adversa obtendit, postremo invitus licet juris experiundi necessitati cessit, eaque ratione eos quadantenus compressit; anno demum 1686. obortis denuo controversiis salis vendendi etc. et collectarum causa per deputatos ab aula episcopali recuperatores jam morituriens eos tandem sedavit. Quantuncunque vero, quod hactenus diximus a Villanis offensus fuisset, nihilominus diligentem atque a partium studiis liberam curam illorum semper gessit. Sane cum aliquando res satis intricata inter Villanos ac Vallenses et monasterium jure consultorum arbitrio decidenda esset, dignam illam rectoribus sententiam iis proposuit: „videte, quid facitis, non enim hominis, sed dei exercetis iudicium, et quodcunque judicaveritis, in vos redundabit, sit timor domini vobiscum et cum diligentia cuncta facite“; 1. paral. 9.* In reliquis item negotiis ita subditorum commodis studiose

* Diese Stelle steht lib. II. Paralip. cap. 19. 7. Aus dem unrichtigen Citat kann man schließen, daß diese St. eine Abschrift sei.